



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

VI. Practicæ Resolutiones circa præfata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

aliorum. Tertiò, supernaturalia, vt sese ad Dei auxilium speciale disponere, assiduè orare, sollicitè cuncta manifesta peccata cauere.

## CAPVT VI.

## Praxis, seu resolutiones Societatis IESV Schola circa materiam de Conscientia.

§. I.  
De Con-  
scientia  
erronea.

18. **D**ixisti, agere cum Conscientia erronea dictante actum esse lethalem, peccatum mortale esse: rogo, An peccatum hoc habeat specialem malitiam contra præceptum, vel virtutem? Minimè, sed generalem quandam rationem peccati determinandam ex tali, seu tali materia circa quam versatur. v.g. falsò existimo hodie esse Vigiliam, & non ieiuno: eiusdem speciei peccatum gero ac si verè vigilia esset: & ideo non est opus in confessione exprimere Conscientiæ errantis circumstantiam: sed sufficit proferri: non ieiunavi in Vigilia. *Salas in 1. 2. tract. 8. d. 1. sect. 33. num. 28. scio Valentiam tom. 4. d. 7. q. 11. p. 7. contrarium tradidisse.*

Salas.  
Valent.

19. *Est ne semper mortale crimen, contra conscientiam errantem agere? Aliquando est veniale, suamque grauitatem, aut leuitatem à grauitate aut leuitate materiæ sumit, in qua errat Conscientia: & à diuersitate iudicij falsò suadentis, vel momentis; quia Conscientia dictare potest, vt peccatum mortale, etiam si materia sit leuis; & vt peccatum veniale, etiam si sit grauis materia.* *Azorius tom. 1. lib. 2. c. 8. q. 5.*

Azor.

20. *Suppone aliquem eò erroris deuenire, vt vtrumque oppositorum ei peccatum sit v. g. mentiri, est delictum: non mentiri, vt proximum à graui periculo eripiam, etiam contra charitatem crimen est mihi erranti. Die festo sacrificaturus pro populo recordatus me non ieiunum, ab altari abstinere decerno: non possum populum sine scandalo dimittere, nec adest alius sacerdos. Si non audio sacrum pastor ouium, contra præceptum delinquo: si auditurus, gregem à lupis comminandum relinquo, becco: quid tunc? si non habeo, quem consulam, minus malum eligam. Primo in casu minus malum mentiri, vt culpa grauior contra charitatem euitari possit. In secundo Missæ audientiæ operam dabo, ne populus scandalo feriat. In tertio, vt proximi prouideam vtilitati, templum non adibo. Quid si quò minus malum apparet, secutus, adhuc errem? Non delinquam. Quid si ita anceps errauero, vt mihi minus malum representetur? Tunc*  
non quidquid

quidquid egero, non peccabo; quia nemo necessitate peccat.

Ex Laymano, Baldello, Castro Palao, & alijs.

Laym.

21. Dixisti unum Doctorem doctum sufficere ad opinionem  
probabilem constituendam: an aliqua addenda conditio? sine  
vlla conditione asserit Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. n. 134. scientia  
Addiderim tamen non sufficere Doctorem doctum esse, si pius proba-  
simul non sit: etsi singularis eius opinio sit contra commu-  
nem; tunc enim talis opinio deberet irrefragabili niti ratio-  
ne, ut esset admittenda. Filliuc.

22. Est opinio speculatiue probabilis: rogo, an sit in praxi tu-  
ta? Assero ex Sanchez de matr. lib. 7. d. 7. non omnem opinio- Sanch.  
nem probabilem speculatiue esse tutam in praxi; unde ali-  
qua Doctorum sententia sapientes speciatim laxationem,  
aut mitiorem legum interpretationem à communi Docto-  
rum placito omnino recedentes, sunt specialissimo, prudentia  
ponderare librandae.

23. Occurrunt dua sententia probabiles, tenetur quis sequi  
probabiliores? Non, quia reprehendi non potest ut imprudens,  
& temerarius qui rationi, authoritative ponderis haeret: &  
esset oneis intolerabilis, si teneretur speciatim indoctus opi-  
niones probabiliores vestigare. Sanchez tom. 1. lib. 1. c. 9. n. 14. Sanch.  
Infero posse iudicem secundum opinionem probabilem iu-  
dicare, aduocatumque patrocinari.

24. An confessarius, aut consultor possit contra propriam  
opinionem minus probabilem consulere, ut poenitentem, aut  
consulentem ab onere aliquo liberet? Posse Vasquez affirmat 1. 2. Vasq.  
d. 62. cap. 9. num. 47. Becanum scio distinxisse in 1. 2. tract. 1. Becan.  
cap. 4. q. 9. n. 16. sed idem demum asseruisse constat. Petit con-  
sulens, aut poenitens sibi exprimi, quam sit sententia probabi-  
lior? Tenetur tunc illam aperire, quam sequitur. Sed si so-  
lum de practica obligatione sciscitatur, potest consulere,  
quod minus probabile iudicat: imo meliorem se geret con-  
siliarium saepe id consulens, quod facilius, & cum minori pe-  
riculo, seu incommodo praestari potest. Ex eodem Becano Becan.  
distinguenta.

25. Potest ne Medicus habens copiam medicamentorum,  
exhibere minus certum, & certius relinquere, etiam si non ha-  
beat certum? Non potest, quia charitas postulat, ut indigenti  
certiori quo possumus remedio succurramus. Suarez apud Suar.  
Portel. v. Opinio eligenda. At in defectu medicamenti certi  
etiam quando aegroti salus non est desperata, asserit Azorius Azor.  
tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. 11. non peccare Medicum exhibentem  
medicamentum probabile, stante opinione probabiliori quod  
nocebit;

nocerebit; quia id, quod ex probabili ratione efficitur, reprehendi non potest. Ast venia tanti viri, temeritatis Medicum inculcarem, nisi ex notitia speciali ægrostantis colligat minus probabile remedium magis profuturum.

Bald. 26. *Potest ne Medicus experimenti gratia dubio medicamento uti?* Afferit Baldellus de consc. graviter peccare contra iustitiam, quando nulla suppetit opinio probabilis, & aliàs adfunt remedia probabiliter profutura; quia vitam, aut salutem ægrostantis periculo sine iusta causa exposuit.

Vasq. 27. *Tenetur ne pœnitentis opinionem probabilem confessarium sequi, relicta sua probabiliori?* Tenetur, quia pœnitens habet ius ad absolutionem opinioni probabili nitens. Vasquez 1.2. tom. 1. dist. 62. cap. 7. num. 40. Qui addit confessarium non proprium negantem absolutionem secundum opinionem probabilem, solum venialiter delinquere. At credidero mortaliter peccare, si de mortalibus facta confessio; quia illum obligat ad peccata alteri confessario detegenda, quod onus graue est. *Quid si confessario falsu videatur opinio pœnitentis?* Debet se accommodare si à probatis Auctoribus probabilis reputatur.

28. *Quid tenendum circa essentialia sacramentorum? Amplectenda ne opinio probabilior?* Exprimam mentem ex Societatis Doctoribus. Communiter asserunt probabilior em eligendam, quia ex charitate tenemur proximo certiori remedio subuenire, ne cadat à salute. Vnde crediderim in sacramentis non necessariis ad salutem id non procedere; & in casu necessitatis, quando v.g. Eucharistiæ deest materia certior. Verum quoties ex opinionibus circa validitatem sacramenti altera fauet sacramento, altera suscipienti: hæc eligi debet, licet minus probabilis; quia sacramenta infidelium gratiam instituta suo iuri cedunt, vt fidelibus faueant. Ideo danda absolutio moribundo, qui illam in absentia petit, &c. quia strictius charitas obligat, quàm Religio. Et Sacerdos tali in casu Parochus contra iustitiam, non Parochus contra charitatem delinqueret.

29. *Quæserim, an his in casibus absolutio absolutè debeat dari?* Ita planè, quia conditio adhibenda in dubio, non in opinionibus. *Dubium est de potestate confessarij: posset ne tunc eligi opinio probabilis, probabilior relicta?* Potiori quidem iure; quia non est periculum irritandi sacramentum. Opinione enim probabili stante, sicut stante errore communi, Pontifex Summus confert iurisdictionem in ædificationem filiorum.

Palao. Palao tom. 1. distinct. 2. part. 5. num. 9. Addo, quia omnis sacerdos

cerdos habet iurisdictionem in venialia; unde cum regulariter fideles aliqua venialia confiteantur, Sacerdos absoluen- do illa directè, absoluet etiam mortalia ( si Papa non dat iurisdictionem) indirectè.

30. Num liceat in mortis articulo opinionem probabilem sequi, relicta tutiori? Scio Sanchez sum. tom. 1. lib. 2. cap. 1. num. 6. negauisse; quia debet homo in nouissima animi agri- tudine ei efficacius remedium adhibere. At ex aliorum sen- tentia, licere crediderim, quia non minus tenetur homo non delinquere in vita, quam in morte: & semper est necessarium aptam medicinam delictis adhibere. Probabilis opinio est; Ergo medicamen appositum.

31. Varietas opinionum inter superiorem, & subditum adest: tenetur ne subditus obedire? Afferit Salas 1. 2. tractat. 8. d. unic. sect. 8. num. 76. teneri subditum obedire, quoties potest abs- que peccato. At Castro Palao tom. 1. d. 2. part. 6. num. 5. Quan- do subditus, inquit, nititur opinione probabili, quod præcep- tum sit illicitum, vel extra superioris iurisdictionem: potest non obedire; quia vnique fas est sequi probabilem opinio- nem.

32. Est opinio probabilis, superiorem non esse legitimum, quia non est electus, &c. tenetur ne subditus obedire? Non quia de eius possessione probabiliter dubitat. Sanchez sum. tom. 2. lib. 6. cap. 3. n. 29. contrarium sentit probabiliter.

33. Varietas opinionum versatur inter iudicem laicum, & Ec- clesiasticum circa iurisdictionem: quinam est competens? Eccle- siasticus, quia maior. Sanchez opusc. tom. 1. lib. 2. c. 4. dub. 52. n. 2. Generaliter quidem in opinionum varietate, illa amplecten- da, quæ fauet Ecclesie, in fauorem Religionis, Ecclesiastica- que potestatis.


34. Scio ad rectè operandum, requiri iudicium practicum mo- raliter certum? hoc tamen rogamus, an oporteat ut sit ita certum, quod omnem oppositi formidinem excludat? Minimè, sed sufficit assensus rationis probabiliter dictans, hoc vel illud honestè agi. Vasquez 1. 2. d. 62. cap. 5. Porro Layman. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 1. n. 3. contrarium asseruit.

35. Regula illa iuris: Melior est conditio possidentis, est ne sem- per vera? Afferit Vasquez 1. 2. dist. 65. cap. 3. solum in materia iustitiæ veram esse. At Suarius tom. 2. de Religion. lib. 4. cap. 5. numero 4. affirmat veram esse in omnibus virtutibus; quia est regula iustitiæ generalis, quæ in omnibus virtutibus, in quibus legi vniuersali obedire tenemur, imbibitur. Subscrip- serim.

36. Operatur quis cum dubia conscientia, an actus sit peccatum mortale, vel veniale: & proponente illum uti malum in confesso: quodnam piaculum est? Afferit Vasquez I. 2. d. 59. c. 3. n. 10. esse mortale, etiamsi postea esse veniale comperiat; quia voluntas, dum non examinat, vult illud perpetrare, qualecumque sit. At Valentia tom. 2. d. 2. 7. 14. p. 4. contrarium affirmat; quia velle malitiam in genere, est velle malitiam, quæ non excedit veniale; si enim excederet, haud esset veniali & mortali communis.

37. An in dubijs tutior sit pars eligenda? Regula est Iuris, quæ habetur in cap. iuuenis, de sponsal. Tene certum, & dimitte incertum. At non continet præceptum, sed consilium. Palao tom. 1. d. 3. part. 6. n. 4. Porro Becanus I. 2. tract. 1. cap. 4. q. 9. n. 4. putat procedere in dubio practico, non in speculativo; quia non obstante dubio speculativo de iustitia cambij (v. g.) peculiaris alicuius, possum ipse formare iudicium practicum moraliter certum, me posse illud efficere, eo quod hic & nunc licitum mihi est secundum probabilem opinionem speculativam operari.

38. Dubium, quisnam è duobus pater sit alicuius illegitimi: quid præstandum? Uterque alere illum tenetur. Renuit alter, aut nequit. Non tenetur alter in integrum. Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 19. quæst. 8. Ratio est, quia illegitimus ius contra utrumque non habet. Vasquez sic I. 2. dist. 66. cap. 8. n. 48. Addit Salas I. 2. tract. 8. d. unic. sect. 24. n. 248. matrem aliquid plus exigere posse à nobiliori, & ditiori, qui scilicet meliora alimenta præstare deberet, si certus esset, esse suum.




## EXAMEN IV.

Circa materiam de Gratia, & Merito.

### CAPUT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Gratia?

I.  **VIDNAM** Gratia? Donum superadditum nature gratis à Deo homini collatum merito Christi.

Quotuplex Gratia? Triplex. Prima diuisio sumpta ex diuerso modo existendi, quem habet in homine, est in habitualem,